



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

6 Vtrum actus sit prior potentia duratione, perfectione, definitione, &
cognitione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

non est sensus ipsa esse vnum & idem, sed componere vnum: loquitur enim de potentia receptiva & actu formali. Et eodem fere sensu ibidem ait, quod prius erat in potentia, postea esse in actu, non quia ipsamet potentia receptiva fiat actus, sed quia eadē, quæ prius carebat actu, postea sub illo constituitur. Quamvis etiam intelligi possit, non de potentia & actu, de quibus nunc loquimur, sed de re, quæ dicitur esse in potentia per non repugnantiam, vel per denominationem à potentia agente, vel recipiente: sicut enim illa eadem res, quæ erat in potentia, reducitur in actum, cum fit, quod supra declaratum est, cum de diuisione entis in ens in potentia, & in actu ageremus.

XI.

Est autem hic obseruandum, distinctionem hanc inter actum & potentiam non semper esse æqualem, nam interdum est proprie & in rigore realis, interdum sufficit modalis: nam etiam modus est actus per modum formæ eius rei quam modificat, & potest etiam ab illa effectiue fieri. Quando vero hæc distinctio fit realis: quando vero solum modalis, ex particulari natura vniuscuiusque actus & potentie, & ex aliis effectibus vel signis colligendum est. Quod si quis dicat, interdum distinguere solum ratione actum & potentiam vt genus & differentiam, respondebimus, id habere locum in actu & potentia logicis, seu Metaphysicis: nos autem loqui de potentia reali & physica cum suo proprio actu comparata.

XII.

Vltima denique pars de distinctione essentiali facile ex dictis constat. Nā potentia & actus distinguuntur secundum rem, & differunt secundum habitudines omnino diuersas, & oppositas: ergo differunt secundum essentialē rationem. Dices, etiam actio & passio differunt secundum diuersas habitudines, & tamen in re non differunt. Respondetur etiam actionem & passionem, eo modo quo concipiuntur vt diuersa, distinguere essentialiter, cum distinguantur genere & prædicamento. Quod vero non distinguatur secundum rem, ideo est, quia illæ habitudines nō sunt oppositæ, sed potius necessario connexæ in vna & eadem mutatione, actus vero & potentia non solum dicunt diuersas habitudines, sed etiam oppositas: imo sese respiciunt, tanquam terminos illarum habitudinum: & ideo cum aliis habitudines sint diuersarum rationum, necesse est, vt actus & potentia non solum in re distinguantur, sed etiam diuersificentur in suis rationibus formalibus, seu essentialibus. Quod etiam inductione ostendi potest, siue sumantur potentia & actus transcendentaliter, vt patet in materia & forma, & in quolibet principio actiuo, & eius actione, siue prædicamentaliter, vt nos præcipue loquimur: intellectus enim & intellectio essentialiter differunt, & sic de cæteris.

XIII.

Actus & potentia an semper sub eodem genere.

Hic vero occorrebat statim quæstio, esto potentia & actus specie differant, an necessario esse debeant sub eodem genere: hæc enim quæstio late disputari solet, præsertim propter Aristot. 12. Metaph. ca. 5. dicentem, eadem esse principia rerum in omnibus generibus. scilicet actum & potentiam. Sed hæc res late est à nobis disputata supra disp. 14. & ideo breuiter dicendum est, potentiam actiuam & actum non necessario esse eiusdem generis: imo si sermo sit de proprio & immediato actu, qui illi respondet, quique est actio, semper esse diuersi generis, cum principium agendi semper sit substantia, vel qualitas: si vero ipse terminus seu effectus dicatur actus talis potentie, interdum erit eiusdem, interdum diuersi generis, pro ratione agentis vniocuiusque vel æquiuoci, vt satis constat ex supra dictis de causis agentibus. At vero potentia passiva transcendentaliter sumpta non semper est eiusdem generis cum suo actu, sed tunc solum, quando potentia est per se primo ordinata ad actum, vt citato loco late declarauimus. Quapropter potentia prædicamentalis, si passiva sit semper est eiusdem generis cum suo actu formali & perfecto: nam huiusmodi potentia passiva, vt declarauimus solum illa est, quæ simul

est actiua per immanentem actum: actus autem immanens eiusdem generis est cum sua potentia, cum sit vera qualitas, vt præced. disp. ostensum est.

SECTIO VI.

Utrum actus sit prior potentia duratione, perfectione, definitione, & cognitione.



As omnes comparationes inter actum & potentiam fecit Aristot. li. 9. Metaph. c. 8. & sequentibus. Et fere easdem fecimus supra inter causam & effectum, & postea inter substantiam & accides, De quibus tere eadem ratio est quæ de actu & potentia, nam inter hæc etiam aliqua ratio causæ & effectus intercedit. Semper autem est præ oculis habenda illa distinctio, quod aliud est comparare rem ipsam, quæ dicitur esse in potentia obiectiua, seu logica, ad rem existentem in actu: aliud vero est comparare potentiam realem ad realem actum illi correspondentem. Aristoteli enim in dicto loco interdum in vno sensu, interdum in alio loqui videtur. Est autem in his longe diuersa ratio, & ideo sigillatim ac breuiter de his comparationibus dicendum est.

Comparatur res in potentia ad seipsam in actu existentem.

In priori ergo sensu, siue in communi de actu & potentia loquamur, siue in particulari de eadem re prout in potentia, comparata ad seipsam prout in actu, clarum est, actum esse priorem quam potentiam perfectione, quia vnicuique rei melius est esse in actu, quam in potentia, imo absque esse in actu nulla est vera & realis perfectio, quæ in rerum natura aliquid sit, vt supra tractando de existentia declarauimus. Et ideo simpliciter etiam comparando actum ad potentiam, melior est actus ex suo genere: quare cæteris paribus quo res plus habet de actu, magisque est separata à potentialitate, eo est perfectior. Et hinc etiam fit, vt cæteris paribus quo res minus est cõposita ex actu & potentia passiva, & per seipsam actualior est, eo sit perfectior, quia eo magis elongatur ab esse in potentia: huiusmodi enim esse in potentia aut maxime fundatur in potentia passiva aut in potentia logica cum extrinseca potentia actiua causæ agentis.

Rursus secundum hanc etiam comparationem certum est, actum esse priorem potentia cognitione, quod in duplici sensu sumi potest, primo comparando res diuersas, ita vt illa censeatur cognitione prior, quæ plus habet de actu minusque potentialitatis includit quod est verum: si per illam prioritatem non intelligatur ordo aliquis inter huiusmodi res, ita vt vna prius debeat cognosci, quam alia: hoc enim non est necessarium, vt per se constat: sed intelligatur solum illa prioritas cõsistere in quadam maiori aptitudine quæ ex parte talis rei est, vt cognoscatur, quomodo dixit Aristot. 2. Metaph. tex. 4. sicut habet aliquid, vt sit ens ita se habere, vt sit cognoscibile. Quod etiam est verum consideratis meritis rerum secundum se, quoad nos non ita semper contingit, vt latius diximus disp. 9. sect. vlt. Secundo modo intelligitur assertio comparando eandem rem in potentia ad seipsam in actu, & sic præcipue loquimur: id quod significat Aristot. supra ca. 11. dicens, quæ sunt potestate, non posse intelligi, nisi reducantur in actum, quia actus est principium cognoscendi vnamquamque rem. Quod verum est et de actu existentis, ac per se loquendo de scientia, quatenus ex rebus ipsis comparatur, aut habetur. Quod in nobis manifestum est: non enim possumus cognitionem rerum consequi, nisi à rebus existentibus initium sumamus. Neque enim res possibiles cognoscimus, nisi ex actualibus, neque præteritas, aut futuras, nisi ex iis, quæ aliquando præterites fuerunt, neque

neque privationes cognoscimus, nisi ex rebus positivis & negentia rationis, nisi ex rebus. Et ratio in nobis est clara, quia sumimus scientiam ex rebus imo & per sensum illam accipimus: non possunt autem sensus immutari nisi à rebus actu existentibus.

Veruntamen non solum in nobis, sed etiam in Deo ipso hoc verum habet, si recte & accommodate intelligatur, quia etiam Deus ipse omnem suam scientiam habet primo, & per se circa rem actu existentem, vel ex re actu existente, nam prima ac per se cognoscit seipsum, qui necessario actu existit: deinde licet, cognoscat creaturas posibles independentes ab actuali existentia earum, non tamen cognoscit illas nisi per seipsum, & virtutem suam cognitam, & eminenter contingentem in sua actualitate omnes creaturas posibles. Quia licet Deus non accipiat scientiam à rebus extra se: accipit (ut ita loquamur) scientiam rerum extra se à seipso, ut à primario obiecto cognito.

Alia vero ratio est de scientia angelorum, quæ est veluti media inter divinam & humanam, & potest interdum esse de rebus possibilibus in seipsis immediate. Et ratio est, quia angeli habent scientiam per infusionem specierum à prima causa: & quoad hoc quodammodo habent scientiam per doctrinam potius, quam per intentionem. Et ideo dixi, sermonem esse de scientia, quatenus ex rebus ipsis comparatur, & habetur. Unde etiam in nobis contingere potest, ut per doctrinam habeamus notitiam de rebus possibilibus, etiam si per suam actualem existentiam non moveant sensum & intellectum nostrum. Et ratio est, quia, quando cognitio habetur per doctrinam, vel infusionem, iam supponit scientiam earundem rerum in alio docente, vel influente, in quo est scientia ex rebus, vel ex aliqua re actu existente: & ita etiam in scientia per doctrinam, verum habet, quod saltem mediate provenit ex aliqua re actu existente, & sic intenditur ad cognitionem possibilem.

In quo est etiam notanda differentia inter humanam cognitionem & angelicam: quod humana cognitio, quæ acquiritur per doctrinam nunquam potest esse perfecta, & habere rationem scientiæ nisi simul ex rebus actu existentibus & cognitis aliquo modo sumatur, quia non potest intellectus humanus ex vi solius disciplinæ proprios rerum conceptus formare, quia doctor humanus proprias rerum species imprimere non potest, sed solum loqui verbis & signis ad placitum, quæ non sufficiunt ad proprios rerum conceptus formandos. Quare necesse est, ut interdum iuvetur discipulus experimento sensuum. Propter quod dixit Aristot. 1. lib. Poster. cap. 14. eum qui sensu aliquo caret, non posse consequi perfectam scientiam earum rerum quæ solo illo sensu possunt percipi: & 2. Physic. cap. 1. ait eum à natiuitate, qui de coloribus ratiocinatur, de omnibus differere, nam rem ipsam concipere non potest. Homo igitur, etiam cum per doctrinam addiscit, iuvare debet sensibus, qui solum circa res singulares, & existentes versantur, ut possit scientiam acquirere, quamquam post semel acquisitam scientiam possit eam perfecte retinere, & ea perfecte uti circa rem non existentem, ut per se notum est, & tradit Aristoteles 2. de anima, capite 4. & lib. 3. capite 4. At vero angelica scientia potest esse perfecta circa rem possibilem, etiam si ab angelo nunquam sit cognita, ut existens, nec per aliam rem obiectivè cognitam, ut existentem, sed immediate per suam speciem. Et ratio est, quia angeli à suo Doctore Deo proprias & perfectas rerum species accipiunt simul cum intellectu lumine sibi connaturali, quæ sunt perfecta principia propriæ scientiæ talium rerum. Verum est tamen has ipsas res posibles non sciri secundum verum esse essentia: sine aliqua habitudine ad actuale esse existentia: nam, ut supra diximus, essentia realis non est, nisi quæ apta est ad existendum. Et secundum hanc consideratio-

nem potest etiam dici actus, prior definitione quam potentia, quia nec definiri potest, nec perfecte intelligi quid sit esse in potentia, nisi esse in actu, vel per habitudinem ad illud.

Comparantur in duratione res in actu & in potentia.

Vltimo dicendum est in hac comparatione. Non est simpliciter necessarium, ut esse in potentia præcedat duratione esse in actu, neque è conuerso, ut esse in actu præcedat esse in potentia, neque in eodem individuo, neque in diuersis in eadem specie: de facto tamen in omnibus rebus extra Deum esse in potentia præcedere duratione esse in actu, tam in speciebus quam in singulis indiuiduis, quamquam necessario esse in actu virtuali seu eminenti ipsius Dei antecedit non tempore, sed natura quodlibet esse in potentia. Prior pars huius assertionis sequitur ex opinione Aristotelis ponentis modum æternum: sic enim non solum in Deo, sed etiam in creaturis (loquendo in communi ac confuse, & non in particulari de hac aut illa creatura) non antecessit duratione esse possibile ad esse in actu, quia ex æternitate ponuntur creaturæ actu existisse. Et quamvis illa assertio Aristotelis falsa sit, non est tamen omni ex parte impossibilis, & ideo diximus non esse necessarium ut esse in potentia præcedat duratione ante esse in actu: Qui vero negant fieri posse aliquam creaturam ab æterno, consequenter dicent, esse in potentia necessario supponi ordine durationis ante esse in actu, in his rebus, quæ possunt esse in potentia, in Deo etiam non habet locum hæc comparatio eo quod ex intrinseca necessitate sit in actu. Hanc vero sententiam non exstimamus veram, nisi in rebus successivis, & ideo absolute loquendo de creaturis, non consensimus necessarii, ut esse in potentia duratione præcedat rei productionem. Potuit enim qualibet species rerum permanentium ab æterno produci, & ita potuit, & ipsa species semper esse in actu ratione vnius, vel plurium indiuiduorum, & quodlibet etiam indiuiduum, diuisum loquendo, potuit ex æternitate esse in actu pro Dei arbitrio.

At vero de facto, cum ex fide constet omnia fuisse in tempore producta, sit, ut omnes species omniaque indiuidua rerum creaturarum prius fuerint in potentia, quam in actu proprio & formali. Aristoteles autem, quia posuit successionem generationum perpetuam, dixit lib. 9. Metaph. cap. 8. licet respectu eiusdem subiecti, esse in potentia præcedat esse in actu, tamen respectu totius speciei, seu collectionis omnium indiuiduorum, ante quodlibet esse in potentia antecedere aliquid esse in actu: quia non posset id, quod est in potentia, in actum reduci, nisi supponeret aliud in actu existens. Verum hæc sententia, ut dixi procedit ex falso fundamento. Ratio vero tacta solum probat vltimam partem nostræ conclusionis, nimirum respectu totius speciei existentis in potentia, necessario supponi in actu, aliquam eminentem virtutem à qua possit illa potentia in actum reuocari. Non enim potuissent creaturarum species esse in potentia nisi præcessisset aliquid agens in cuius virtute continerentur, & ideo necesse est, ut non prius fuerint in potentia, quam in aliquo actu, in quo virtualiter, seu eminenter fuerint contentæ, quem actum oportuit esse de se, & omnino necessarium, alioquin etiam ille prius fuisset in potentia quam in actu. Unde etiam debuisset contineri in illo actu eminenti & virtuali, cumque non possit in infinitum procedi, necessario sistendum est in aliquo actu per se necessario virtute continente omnia, quæ habent esse in potentia. Atque ita in tota latitudine entis esse in actu est primum omnium, & ab illo quodammodo habet originem, quod res aliquæ sint in potentia. Et licet esse in actu ipsius entis necessarii non præcedat duratione

VII.

VIII.
Res omnes extra Deum prius duratione existere in potentia, quàm in actu.

tionem ante esse in potentia aliorum entium possibilia, quia statim ac illud est ex virtute eius, cetera sunt possibilia, antecedit tamen ordine naturæ ob eandem causam.

Comparatur unaquæque potentia ad suum actum.

IX. Circa alteram comparationem inter potentiam realem & actum eius, quæ magis ad nostrum institutum spectat, distinguere ulterius possumus inter potentiam late & transcendentaliter sumptam, & propriam potentiam prædicamentalem: verumtamen ne in re facili immoremur, dicemus simpliciter & in communi, & simul indicabimus, si aliquid fuerit proprium potentie prædicamentalis.

X. Primo ergo dicendum est, actum potentie agentis, ut sic ex suo genere non esse priorem perfectione, quam potentiam, imo neque tali potentia ut sit, addi perfectionem ex eo, quod exerceat talem actum. Probatur: nam talis actus est aut actio huius potentie, aut terminus actionis: actio autem ut sic quid im perfectum est, ut per se constat: terminus item actionis per se loquendo non excedit virtutem actiuam, nisi fortasse illa tantum sit instrumentalis, ut attigit Aristot. libro 18. Metaphysicorum caput. septimo. Potentia ergo actiua ex suo genere non habet, quod sit minus perfecta, quam actus eius, imo cum ab illa procedat eius actus, & ab ea participet quidquid perfectionis habet, necesse est, ut ex suo genere sit perfectior, & quod perfectissima potentia actiua superet in perfectione quemlibet actum, quia ab ipsa manare potest: quamvis in particulari aliqua virtus actiua possit esse æqualis perfectionis cum suo actu quoad terminum actionis, ut in vniuocis agentibus, aliquando vero sit minus perfecta, ut in virtutibus instrumentalibus.

XI. Quod vero talis actus non perficiat ipsam potentiam, de termino actionis omnes fatentur nisi aliunde recipiatur in ipsamet potentia: tunc enim perficiat illam, non quia est terminus actionis eius formaliter loquendo, sed quia ipse est actus formalis eius, & ita comparatur ad illam, non ut ad potentiam agentem, sed ut ad recipientem. Secunda autem hæc habitudo terminus actionis ut sic est res extrinseca ipsi potentie agentis, & ut supra dicebam, non est proprie actus eius, quia per se non habet habitudinem ad illam, sed media actione: non est ergo perfectio eius. De actione vero primum id constat de potentia actiua Dei, & actione eius, quæ proprie solum est actio ad extra: non est autem melius aut perfectius illi potentie actu agere, quam non agere. De actione vero potentie actiue creatæ aliqui dubitant, vel oppositum sentiunt, tamen si actio sit transiens, non est formalis actus ipsius potentie agentis, sed solum extrinsece illam denominat actu agentem: denominatio autem extrinseca non est perfectio propria & formalis: licet enim à quibusdam vocetur extrinseca perfectio, re tamen vera hoc non est esse perfectionem, nisi nomine tantum. Quia, si est extrinseca, nullum esse reale cõfert rei denominatæ: ergo nec realem perfectionem: hæc enim non est sine esse reali, de quo plura dicemus infra disputando de actione. Si vero loquamur de actione immanente, illa quidem est perfectio formalis eius potentie, à qua manat, quia in illa manet, & ideo non tam est perfectio eius ut agens est, quam ut recipiens est, & consequenter non perficit actio, ut actio, sed ut receptio, seu passio. Atque ita sit, ut potentia agens ex ratione sua non perficiatur actu suo: sed potius ipsa perficiat effectiue actionem suam, & illam perficiat, vel passum, vel effectum.

XII. Deinde dicendum est, potentie actiue operationem, per se loquendo, non esse priorem cognitione, aut definitione ipsa potentia, sed potius è conuerso,

nisi solum in potentia prædicamentali, quæ per se primo instituta est ad talē actionem. Probatur prior pars, quia virtus actiua ex suo genere est eminentior actione sua, & potest esse res omnino absoluta, etiam à transcendentali habitudine ad suum actum: ergo cognitio aut definitio talis virtutis per se non supponit cognitionem actionis eius, nec per se illam requirit in sua absoluta definitione. Quin potius è conuerso, cum illa actio quatenus talis est, dicat habitudinem ad tale principium, per se requirit, ut per ordinem ad illud cognoscatur ac definiatur. Et è contrario, quia illa virtus est per se causa talis actionis eminenter continens illam, cognita perfecte tali virtute, per illam tanquam per causam, poterit actio eius cognosci: ergo ex se talis potentia est potius prior cognitione suo actu, quam è conuerso.

Dices: Potentia actiua Dei etsi sit omnium perfectissima & absolutissima, non potest ex æde cognosci seu deprehendi quin cognoscatur actio eius, saltem ut possibilis: ergo pendet exacta cognitio potentie ex cognitione actionis, ergo ex hac ratione potest talis actio dici prior cognitione sua potetia. Non desunt qui negent assumptum: ego vero illud admitto, tendum censeo & negandam consecutionem, quia cognitio id id non est propter dependentiam, sed propter eminentiam causæ & necessariam consecutionem. Sicut enim in superioribus sæpe diximus, aliquando contingere vnam rem non posse esse sine alia, non quia ab illa pendeat proprie ut à causa & à priori, sed quia per dimanationem, vel alio modo necessario illi coniungitur, sic in præsentia intelligendum est, posse vnam rem necessario cognosci cum alia, non quia sit cognitio prior, sed potius è conuerso, quia ex vi alterius necessario cognoscitur. Dixi autem in assertionem, per se loquendo, id est, considerando ordinem, seu modum cognitionis, quem res ipsa secundum se postulant, nam respectu nostri, sæpe contingit, ut operatio sit prior cognitione quam potentia, quia non cognoscimus res à priori, sed per effectus. Addita vero est receptio earum potentiarum, seu qualitatū, quæ per se primo natura sua sunt institutæ ad actionem, nam cum earum essentia includat transcendentalē habitudinem ad suum actum, non potest, nisi per illum, seu in ordine ad illum cognosci, seu definiri, ut statim dicemus de potetis falsiuis, nam in hoc eadem est verarumque ratio.

Tertio dicendum est, potentiam actiuam esse simpliciter priorem natura suo actu, posse etiam esse duratione priorem, quamquam non semper necessarii actus prior sit. Tota hæc conclusio sumitur ex Arist. citato loco, & prima pars cõstat ex dictis supra de causis, nam potentia actiua est causa efficiens sui actus: ergo & simpliciter prior natura illo. De ordine vero durationis, constat in primis potentiam non posse esse posteriori duratione suo actu, cum ad illum supponatur tanquam principium eius. Excipit tamen Aristot. illas potentias, quæ vsu acquiruntur, ut est ars, & c. sed illæ potius sunt habitus, nos autem strictius agimus de potentia, ut contra habitū distinguitur. Et ipsimet habitus, licet supponant actus, non tamē eos, quos eliciunt, sed ad alios similes quoad substantiā vel speciem, qui necessario supponunt potentiam naturalem à qua eliciantur. Deinde certum est, potentiam agentem per se non pendere ab actu suo. Et ideo ex hac parte non repugnat tempore antecedente. Aliunde vero non semper potentia ex necessitate prodit in actum, vel quia libera est, vel quia licet ex se agat ex necessitate, non tamen semper habet applicata omnia requisita ad agendum, vel certe, quia actio ipsa successiua est, & ideo oportet, ut saltem per instantia supponat potetiam, quæ omnia latius dicta sunt superius disp. 26.

Atque hinc facile è contrario ostenditur, non oportere, ut semper potentia agens duratione præcedat suam actionem: nam si actio ex se neque fiat cum

resistētia contrarii, neque includat intrinsece successiōnem, sed subito fieri possit, poterit simul esse tempore cum sua potentia. Nam potest talis potentia in primo instante sui esse habere simul coniunctā & applicatā omnia requisita ad agendum: ergo si sit libera, pro sua libertate poterit simul exercere actionem suam: si vero sit naturalis, ex necessitate habebit actionem sibi coeuvam.

Quz omnia vera sunt comparando in indiuiduo vnamquamque potentiam ad suum actum. Comparando autem in communi seu in specie & respectu diuersorum indiuiduorum potentiam actiuam ad actum suum: censent aliqui ex Arist. 5. Metaph. c. 8. necessarium esse, vt potentia tempore præcedat actum. Veruntamen Aristot. ibi non comparat potentiam actiuam ad suum actum, sed esse in potentia ad esse in actu: quz comparatio in presenti applicata solum potest habere hunc sensum, quod si in aliquo indiuiduo est potentia agens tantum in potentia ad agendum, necessario in alio præcessit similis potentia actu agens, vt si Petrus est in potentia ad generandum, in alio præcessit potentia actu eliciens generationem. Quosensu talis assertio supponit in primis falsam sententiam de mundi æternitate: alioqui constat Adam prius fuisse in potentia ad generandum, quam vllus hominum genuisset. Deinde etiam posito illo principio, comparatio illa formaliter non habet locum, nisi in iis potētibus, quarum vna procedit aliquo modo ab actu alterius, vt contingit in illo exemplo de potētibus generatiuis, vel in calore, qui vim calefaciendi accipit per priorem calēfactionem. At vero in aliis actionibus id nō est necesse formaliter loquēdo, vt v. g. licet Petrus sit in potentia ad eliciendum amorem Dei, & homines essent ex æternitate, nō est necesse, vt præcesserit in aliquo similis potentia sub actu, quia ille actus per se nihil confert ad seriem generationis. Igitur neq; in indiuiduo: neq; in specie est per se necessarium, vt potentia actiuā tempore præcedat actum suum.

Neq; etiam de facto id est verum in omnibus potētibus creatis, vt patet in potētibus angelorum, atq; etiam primi hominis, vt esse probabilius, saltē quoad intellectum & voluntatem, & cōsequenter etiam quoad interiorem sensum: & de exterioribus saltem quoad visum est verisimilius non solum in homine, sed etiam in aliis animantibus. Idem etiam apparet in actione lucis: de aliis autem virtutibus creatis nihil constat. In creatore vero potentia agendi duratione præcessit omnem suam externam actionem: quanquam id non fuerit ex necessitate, vt dixi, sed ex sua libertate.

Atque eodem fere modo (ne id repetere necesse sit) ratiocinandum est de ordine durationis inter potentiam passiua & actum eius; non enim potest talis potentia ex natura rei esse tempore posterior suo actu, cum ad illum supponatur. Neque etiam est necesse, vt sit prior tempore illo: potest enim habere illum congenitum, tamen ex genere suo nō repugnat, quin tempore præcedat, vel diuifum quemlibet actū signatum: quia ante quemlibet potest esse sub alio, vel collectiue, quia potest aliquando esse tantum in potentia, & sub nullo actu, vt patet in intellectu humano, & similibus, quanquam in aliqua potentia ex specialiratione id repugnet, saltem ex natura rei, vt in materia prima: quz omnia latius dicta sunt supra disputatione 27. comparando causam materialem ad formalem.

Quarto dicendum est potentiam passiua, quatenus talis est, esse minus perfectam suo actu, non quia semper sit simpliciter minus perfectum ens, sed quia melius se habet actu suo, præsertim perfecto, quam sine illo. Fere tota hæc conclusio tractata est etiam supra comparando causam materialem ad formalem, nam hæc comparationes sunt eiusdem rationis. Vnde sensus primæ partis huius assertionis est, Tom. II. Metaphys.

potentiam passiua quoad aliquam conditionem semper esse minus perfectam suo actu, quia potentia passiua dicit quid informe & actuabile: formatur autem & quasi completur & actuatur per suum actum: ergo secundum hanc rationem semper est minus perfecta suo actu. Hæc vero comparatio tantū est secundum quid: vnde ex illa non licet colligere passiua potentiam in sua entitate simpliciter minus perfectā actu suo. Sed est hoc quidem verum in substantiali potentia comparata ad suum substantialem actum, eo quod talis actus dat esse simpliciter, constituitque completam substantialem, vt in superioribus dictū est comparādo materiam cum formali substantiali.

At vero in potentia passiua ad actum accidentalem distinctione opus est: aut enim talis potentia nō est per se primo natura sua ordinata ad talem actum: quam nos vocamus potentiam transcendentaliter, aut est potentia propria prædicamentalis, per se primo ordinata ad actum. De priori non potest dari vniuersalis regula, quia cum illa res, quæ talem capacitatem habet, non habeat inde suam specificam & essentialē rationem, non est mensuranda in perfectione ex capacitate talis actus, sed aliunde ex propriis principiis: Vnde fit, vt interdum sit perfectior, quam actus interdum minus perfectus, vt substantia, quæ proxime est capax aliquorum accidentium, est perfectior illis: quantitas verò, quæ passiue comparatur ad lucem, fortasse est minus perfecta, quam illa. Posterior autem potentia propria & prædicamentalis, nunquam est pure passiua, vt dixi, sed est simul principium actuum suorum actuum, & ideo, vt opinor, semper est perfectior illis (loquor de actibus naturalibus, vt omittā comparationem ad supernaturales, quæ ad nos non spectat) tanquam principium eminens & æquiuocum illorum: de qua re latius in libris de anima, nam huiusmodi potētiaz, tantum in anima reperiuntur.

Vltima pars conclusionis facile etiam probatur ex dictis: nam cum actus potētiaz passiue sit formalis perfectionis eius, cum illi coniungitur, addit illi perfectionem, quam potentia ex se non habebat: ergo potentia sub tali actu perfectior erit quam si illo careat. Dices: Compositum ex illa & actu erit perfectior quam sola potentia: ipsa vero non erit perfectior, quia semper manet eadem entitas distincta ab actu. Respondetur, sicut potentia informatur, & actuatur per actum, ita etiam per illum perficitur, non quia ipsa simplex entitas potētiaz in sua perfectione essentiali crescat, sed quia illi intrinsece additur perfectio: quæ est veluti complementum eius, & in optimo ac perfecto statu illam constituat. Et in hoc præcipue sensu ait Aristot. 9. Metaph. ca. 9. actum esse perfectiorem potentia, quia potentia perfectius se habet sub actu, quam sine illo. Hanc vero partem videretur statim limitare Aristoteles ibid. capite 10. dicens: In bonis quidem, actum seu esse in actu præferendum esse potētiaz, non vero in malis. Et rationem reddit, quia eadem potentia est contrariorum actuum, ex quibus vnus est bonus, & alius malus: semper enim vnum contrariorū habet rationem priuationis, & ita habet rationem mali respectu potētiaz: ideoque potentia sub actu bono semper perfectius se habet, quia melius est esse bonum simpliciter & in actu, quam esse in statu indifferenti ad bonum & malum: & contrario vero melius est vel minus malum esse in statu indifferenti ad bonum & malum, quam definite iam esse in deteriori statu.

An melius sit carere omni actu, quam prauum habere.

Sed occurrat circa hoc difficultas, quia actus quicumque ille sit, aliquam perfectionem addit potētiaz, ergo si præcise comparetur potētia nuda, & in sola potentia existens, ad talem actum, melius illi

XX.

XXI.

Potentia melius se habet sub actu, quam sine actu.

Aristoteles limitatio.

XXII.

N n est

est esse sub illo actu, quam omnino carere actu. Licet talis actus comparatus ad contrarium sit deterior, habeatque rationem priuationis, comparatus tamē ad potentiam nudam, semper habet rationem maioris perfectionis. Et confirmatur, quia alias materia prima censenda esset in deteriori statu existere sub forma lapidis, quam si careret omni forma: quia hoc posteriori modo esset indifferens ad formam imperfectam, & perfectam: in illo autem statu iam est definitus sub forma imperfecta, quæ habet repugnantiam, & aliquam oppositionem cum perfectiori forma.

XXIII.

Respondetur
dubium
et Aristote-
les explicat
itur.

Respondetur primò, intelligi posse hanc assertionem Aristotelis de bono & malo moraliter, scilicet melius est non operari, quam male operari: & sic vera est propositio, potissimum de actu potentie agentis ut sic. Nam bonum & malum morale, non attribuitur alicui formaliter ut patiens est, sed ut est agens: quod si passio interdu mala denominatur, solum est, quatenus per actionem malam est voluntaria. Et ita cessat difficultas tacta, nam illa solum procedit de perfectione physica, & entitativa, quæ additur potentie receptivæ per quemlibet realem actum. Sed licet doctrina huius responsionis vera sit, Aristoteles tamen & loquitur de actu potentie passivæ ut sic, & latius de actu bono, & malo naturali, ut patet ex exemplis, quibus vitur, scilicet posse esse sanum, & egrotare, &c.

XXIV.

Quare secundo dici potest, in actu imperfecto duo considerari posse, scilicet positivam perfectionem, secundum quam actus potentiam, & priuationem aliquam ratione cuius habet rationem mali: ex priori capite concedi potest argumento facto, melius esse habere talem actum, quam omnino carere actu: quia ille actus ut sic non habet rationem mali, sed boni, secus vero sub posteriori ratione, quia ut sic, non ponit perfectionem, sed tollit. Adde vero ad hoc magis explicandum, dupliciter posse receptivam potentiam comparari ad reliquos actus contrarios seu repugnantes. Primo, ut omnino indifferenter se habens ad utrumque illorum, utpote quæ ex se neutrum definitè postulat, ut comparatur materia ad omnes formas substantiales, & consequenter etiam ad accidentales contrarias, vel repugnantes: & hoc modo concludit argumentum, talem potentiam melius esse sub quolibet actu, etiam imperfectissimo, quam sine illo, quia ille actus non habet rationem mali, sed minoris boni. Alia vero est potentia, quæ licet possit recipere actus contrarios, tamen vel unus est connaturalis, vel alter violentus, vel unus est simpliciter debitus ad perfectionem talis potentie, alius vero licet ad mitti seu recipi possit in tali potentia, repugnat tamen perfectioni illi debite, siue hoc proueniat ex alio actu coniuncto tali potentie, siue ex aliqua intrinseca inclinatione illius. Ut in lapide est potentia passiva ad motum sursum & deorsum, ratione tamen formæ unus est illi debitus, & alter repugnans. Voluntas etiam est in potentia ad recipiendum actus virtutis vel vitii, ex quibus prior est debitus, & alter repugnans perfectissimæ inclinationi ipsiusmet voluntatis ut sic. Igitur respectu talis potentie melius est carere utroque actu quam esse sub actu sibi repugnante, qui propriè habet rationem mali: nam hoc modo perfectio actus non attenditur ex sola entitativa perfectione illius formæ, quæ est actus, sed maxime ex proportionem inter actum & potentiam. Unde licet calor sit simpliciter perfectior quam frigus: & aqua possit esse sub utroque actu, nihilominus non est illi melius esse sub calore quam sub frigore, quia non est ita illi debitus & proportionatus. Atque hoc potissimum modo locutus est Aristoteles citato loco.

XXV.

Potentia
passiva ad

Ultimo dicendum est, potentiam passivam esse posteriorem cognitione & definitione suo actu: non solum quoad nos, sed etiam secundum se & natura

sua. Hæc conclusio intelligitur de potentia passiva per se primo instituta propter actum, qualis est in substantiis materia prima: de cuius cognitione per formam dictum est in disput. 13 & 15. In accidentibus vero sunt huiusmodi potentie illæ, quæ ad actus immanentes recipiendos ordinantur, ut ex superioribus constat: hæc autem potentie sunt proprie animalium, vel superiorum viventium: quare demonstrationi huius conclusionis potissimum pertinet ad scientiam de anima, ubi ostenditur potentias specificari ab actibus. Ex quo principio probanda est dicta assertio, quia principia sunt aliquo modo cognitione priora, quam ea: quæ sunt ex principis, sed actus est aliquo modo principium potentie in quantum est specificans ipsam, & in quantum est id propter quod talis potentia primario instituta est: ergo actus ut sic est prior cognitione. Rursus id per quod aliquid definitur, est prius definitione quam ipsum definitum: sed potentia huiusmodi definitur per actum tanquam sumens ab illo speciem: ergo est actus prior definitione quam potentia. Principium autem illud, quod huiusmodi potentie speciem sumant ex actibus, nunc supponitur ex nobis ut communiter receptum: nam fufius disputandum est in libro de anima. Nunc solum dicimus, intelligendum esse specificari potentiam per actum, non ut per intrinsecam differentiam, sed ut per terminum intrinsecæ habitudinis potentie ad actum: intelligendum etiam esse de actu adæquato, vel secundum rem, vel secundum aliquam rationem communem respectu potentie. Et sic est res carens difficultate: nam eadem est ratio, quoad hoc de potentia, quæ est de qualibet re includente respectum transcendentalem ad aliam, ut supra diximus de materia & forma: & infra dicemus de habitibus, ubi hoc magis explicabimus: & aliquid dicemus tractantes de, Ad aliquid, & de Actione, & passionem.

Sed dices, Potentia & actus sunt correlativi, & sic ut potentia non potest cognosci nisi per actum, ita actus neque actus nisi per potentiam: ergo non magis potentia est prior definitione, quam actus, sed ad summum erunt simul cognitione. Respondetur, actum & potentiam, prout nunc de illis loquimur, non esse relatiua prædicamentalia, sed transcendentia: in relatiuis autem transcendentalibus, non repugnat terminum habitudinis esse simpliciter priorem cognitione, quam ipsum relatiuum, transcendente. Deinde concedo actum & potentiam de quibus nunc est sermo, habere inter se mutuam dependentiam in cognitione & definitione: & ea ratione vel esse aliquo modo simul cognitione, vel potius inuicem comparari ut prius & posterius in diuersis generibus causarum, simpliciter tamen actum censi priorum, quia ille est, qui determinat, & qualidat, ultimam speciem. Loquimur autem de actu actuantem, nam si sermo de actu simpliciter, sic dari potest actus abstractans ab omni potentia, qui per idem nullo modo definiatur. vide Caiet. 1. p. quæst. 13. artic. 7. ad 2. Scoti. Et hæc sufficiant de potentia & actu, nam cetera quæ de his disputari possent, propria sunt scientie de anima.

DISPUTATIO XLIV.

De habitibus.



Ignificatio huius nominis habitus in superioribus, explicando species qualitatis, satis declarata est, & ex ibi dictis sumo, sermonem in presenti esse de habitu, prout est propria quædam species qualitatis proximè ordinata ad iuvandum potentiam in operatione sua, & consequenter quatenus est secundum rem & essentiam species distincta, & a potentia.